



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed  
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum  
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè  
continentur

**Zerola, Tommaso**

**Coloniae Agrippinae, 1680**

Parochia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10421**

Ad quartum, Iacobus Valent. in *ex-  
posit.* Psalm. 3. col. 3. *lucra D.* dicit, Or-  
ganum significare corpus Ecclesiæ my-  
sticum, quia sicut Organa habent diver-  
sas voces, quæ tamen omnes sunt  
ordinatæ sub una quadam proportione,  
& melodia: ac omnes qui sunt diversa  
membra, subordinantur sub uno capite  
Christo, juxta illud Pauli, *Caput nostrum  
Christus est, & nos sumus in vicem mem-  
bra de membro*, D. Paul. prima Corinth.  
cap. 14.

## ORATORIUM.

ORatorium quid sit, & discrimen  
inter ipsum, & Ecclesiam, an possit  
fundari absque consensu Episcopi, an ha-  
beat immunitatem ecclesiasticam, ut in  
eo possit celebrari, vide Anchar. in *cap.  
auctoritate*, num. 2. de privileg. libro 6.  
vide *ver. Missa*, §. 2. *conf. 4.*

## PAPA.

PRimò Papa incipit summum Ponti-  
ficatum à die benedictionis seu Cono-  
nationis, nam prius dicitur electus, gloss.  
in *Procem. Clem. in ver. Pontificatus*, & ibi  
Abb. num. 9.

Secundò, Papa non potest reddi sus-  
pectus, ne recusari. Hostiens. in *cap. que-  
relam, de elect.* ut refert Abb. & ibi Felin.  
in *cap. inquisitionis, num. 14. de accusat.* nec  
licet ab eo appellare ad futuram Conci-  
lium, sub pœna excommunicationis  
Bullæ Cœnæ Domini: sed nec possit  
ab eo appellari ad præsens Concilium, si  
tunc temporis celebraretur. (*Hæc quali-*

*ter sint intelligenda docet rectè Azor in 2. p.  
instituto nummoralium lib. 4. c. 52. dub. 2.*

## PAROCHIA.

## SUMMARIUM.

1. *Quæ requirantur ad hoc, ut aliqua Ec-  
clesia sit Parochialis.*
2. *Quomodo ei provideatur, & quo ordine.*
3. *Ad quid teneatur Parochus.*
4. *quos limites ipsius.*
5. *Quid circa oblationes.*
6. *Quomodo uniantur, & multiplicentur.*
7. *Quando dandi sint Parochio Coadjuto-  
res, vel Socii.*
8. *Quod juramentum prestare debeat Pa-  
rochus suo Episcopo.*
9. *Quæ requirantur in erectione nove Ec-  
clesiæ Parochialis.*
10. *An Parochiani possint instare contra  
suum Parochum.*

AD Primum, Parochia est Ecclesia,  
ad quam convenit populus ad recipi-  
enda Sacramenta, & ad audienda sacra  
diebus festis, debentur ei decimæ & o-  
blationes, ibi sunt sepulturæ, ibi audire  
debent Parochiani verbum Dei, & ru-  
dimenta fidei, & hæc omnia proban-  
tur in *Clem. unica, de bap. & eius effect. cap.  
omnis utriusque sexus de pœnit. & remiss. c.  
Capellanus, de feriis, Conc. Trident. sess.  
24. c. 8. de refor. matr. ca. unico, de sac. unct.  
& Conc. Trid. sess. 24. c. 13. in fine, & c. 4.  
& c. 7. de reform. c. ut dominicis; de pa-  
roch. & in toto titulo, de decim. & in titulo,  
de sepult. quib. habes quænam sunt jura  
Parochialia, & quænam sunt ea, quæ*



constituant Ecclesiam Parochialem, vide Innocent. in rubric. de paroch. & Abb. ibi numero 2. hinc fit, quod Ecclesia non dicitur Parochialis ex eo solum quod ibi reperitur fons Baptismalis, Clem. unica, de Baptif. Gom. questio 2. in reg. de idiom. Staph. de lit. grat. fol. 79. num. 4. nec si est fons baptismalis, & sepultura, sed tria saltem simul conveniat oportet, ad hoc ut Ecclesia dici possit parochialis. Primum, fons baptismalis. Secundo, sepultura. Tertio, cura fori poenitentialis, & quod unum tantum modo habeat Sacerdotem, cap. sicut in unaquaque 21. q. 2. Card. in Clem. 1. §. si. de relig. dom. Gom. in dict. quest. & quod ad probandam Ecclesiam esse parochialem, requiritur tempus non minus quadraginta annorum, & e contra, Gom. de grat. expect. numro 64. & in his habet solum locum & licet Canon. & in cap. commissa, de elect. libro 6. Concil. Trident. sess. 7. cap. 12. de reform. Diaz. in Pract. Crim. Can. c. 48. Selva. tract. de benef. 3. p. quest. 42. num. 3. & infra, Navar. cap. 29. num. 118. not. 8. & 9. vide Oldrad. consil. 203. incipiens. Factum tale, & Felin. in capit. nostra, in 10. corollario de rescript. vide Abbat. in ca. 16. de sepult. & in cap. extirpanda, §. qui vero, num. 10. & 11. de preb.

Ad secundum, cum Parochialis Ecclesiae vacatio contigerit, statim in ea Ordinarius habita notitia vacationis, Vicarium, seu economum cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione constituat, qui onera ipsius Ecclesiae sustineat, donec de Rectore provisum fuerit Concil. Trident. sess. 24. cap. 18. de reform. Porro Ordinarius ponet edictum publi-

cum ad valvas Ecclesiae cathedralis, seu Parochialis vacantis intra triduum, quo vocantur omnes, qui volent examinari, tractato constituto tempore, omnes qui venerunt ad concursu, examinentur coram Ordinario, & examinatorebus Synodalibus, non paucioribus quam tribus, & qui examinerum judicio magis idoneus reperietur, Ecclesiae praeficiatur, Conc. loco citato, hoc est, primum dubium.

Primum, quanto tempore edictum debeat manere affixum ad Ecclesiae valvas, Responderetur quod Conc. videtur innuere, quod per spatium decem dierum, Vel secundo potest dici, quod hoc est arbitrium Judicis, & a simili dicit Bartol. in Extravag. Ad reprimendum, in ver. publica, & edictum ipsum prius debet legi publice, & postea affigi, vide Marant. 6. par. memb. 1. nu. 96.

Secundum dubium, an sit necessarium hoc edictum, & concursus ad examen, & videtur quod non, quia Conc. loco citato, dicit, si Episcopo, aut Synodo Provinciali pro regionis more videbitur magis expedire, per edictum etiam publicum vocentur, & c. ergo videtur hoc necessario fieri, tamen Pius V. Bulla sua 32. fol. 972. & sac. Congr. declar. 71. censuit, collationem Parochialis factam sine examine per concursum, esse nullam & irritam, & praefatas parochiales eo modo collatas vacare, earumque collationem ad Sedem Apostolicam spectare. Adde, si collatio pertineat ad Ordinarium, infra sex menses, si ad Papam, infra quatuor, si juris sit patronatus, infra duos, a die consecrati examinis, fieri debere, ita in dicta

Bulla



*Bulla, quæ incipit, In conferendis.*

Tertium dubium, an hoc edictum, seu hic concursus poterit differri ultra decem alios dies: & videtur quòd non; quia Concil. ita disponit: tamen Pius V. *Bulla citata*, & Con. Cusent. *Provinc. sess. 3. fol. 75. & Mediol. fol. 9. col. 1.* disponunt, quòd decem dies, ltra alios decem dies, poterit prorogari, sed non ultra. Facit quod notat Gem. *in cap. cupientes, §. quòd si per viginti, notab. 1. de elect. libro 6. de dilatione.* Sed posset quæri anposito edicto ac elapso 1. & 2. decennio, si quis est legitimè impeditus, & non potest concurrere, possit protestari ut prorogetur plus. Respondetur ex Gloss. & Gem. *in cap. cupientes, §. quòd si per viginti, versic. nota istam gloss. de elect.* quòd sic à simili text. nisi mora fuerit longa, quia vacatio dicitur Ecclesiæ periculosa, prout dicitur *inferius, versic. nonum dubium*, quòd idem affirmat, *ibi §. insuper, versic. Et etiam Doctores*, quòd nota pro practica.

Quartum dubium, an hoc locum habeat in parochialibus reservatis Sedi Apostolicæ? Respondetur affirmativè, per *dicta Bulla*, idem si esset affecta, vel reservata generaliter, vel specialiter, etiam vigore indulti, seu privilegii, in favorem S. Romanæ Ecclesiæ, Cardin. Abbatum, vel Capitulorum, etiam per obitum, seu resignationem in Curia, *loco citato, declar. sac. Congreg. 266.* etiam si ad Patriarcham pertineat collatio, & Parochialis vacaret in Diocesi Episcopi, qui est Provincie ipsius Patriarcha, *declarat. 174. Selva. loco citato, 3. p. questio 33. num. 3. arg. cap. regenda. 10. qu.*

*1. cap. perlectis, ver. ad Episcopum. 2. dist. Decil. Rotæ 4. de concess. preb. in noviss. cap. omnes Basiliæ, 16. quest. 1.*

Quintum dubium, utrum sit ponendum edictum, & debeat fieri concursus ad parochialem resignatam in Curia? Videtur quòd sic, quia Conc. non distinguit, tamen oppositum est verius, ita censuit sac. Congreg. *declar. 89.* ubi dicit, verba Concilii, quòd vacantia omnes, etiam per resignationem examine per concursum facto, ab ordinario debent conferri ei, quem judicaverit aptiorem, non habet locum in resignationibus factis in manibus Papæ in favorem. Ratio decisionis est, quam affert *Clem. unica, de rer. permut. modò ad sit idoneitas, & sufficientia personæ, in cujus favorem facta est resignatio, c. si pauper clericus, de preb. libro 6. Staph. de lit. grat. in 6. form. expect. num. 2. & in form. 9. à num. 13.* locus verò non.

Sextum dubium, an hoc habeat locum in resignatione facta coram Ordinario? Ad hoc respondetur primò, quòd nullæ resignationes beneficiorum possunt hodie admitti coram Ordinario per Bullam Pii V. nisi cum quibusdam conditionibus, prout *inferius in versiculo resignatio.* Secundò, quòd etiam si admitterentur, non possunt admitti nisi simpliciter, & non in favorem certæ personæ, prout dicam *loco citato*, tamen quicquid sit, dico quòd si resignatio facta esset simpliciter, idem erit observandum, scilicet cum edicto & examine per concursum, si in favorem certæ personæ, tunc dicendum, prout dixi in resignatione facta in manibus Summ. Pontif. &

X x 2      ita



ita censuit sac. Congregre. *declarat.* 394. in hæc verba: *Scribantur littera ad Episcopum Auriensem, in resignatione facta in favorem certa persona, non esse necessarium examen per concursum, sed satis esse resignatorium, ab examinadoribus in Synodo deputatis, simul cum Ordinario probari idoneum; & hoc confirmatur per rationem dicta Clem. 6. si beneficia de prebend. libro 6. nec debet fieri concursus, in provisionibus factis in forma digna, declarat.* 326. nec in provisione facta alicui familiari Papæ, qui de concessione ejusdem examinatus & approbatus fuit Romæ, *declarat.* 281.

Septimum dubium, verum quando Parochialis esset juris patronatus, debet fieri edictum & examen per concursum, prout supra? Respondetur negativè, *Conc. loc. citato, §. si verò*, ubi disponit, Episcopum debere instituere sine edicto, & concursu, eum quem digniorem inter probatos ab examinadoribus judicabit, & ita censuit sac. Congr. *declarat.* 288. in hæc verba: *Examen per concursum non debet fieri in vacatione Parochialium, quæ sunt juris patronatus laicorum, sed sufficit, quod deputatus à patronis examinetur ab examinadoribus Synodalibus, & institutio debet fieri infra bimestre à die presentationis confecto examine, Bulla cit.*

Octavum dubium, an hoc habeat locum in Ecclesia parochiali; quæ actu non habet parochianos, responderur, prout in *vers. beneficium. §. 4. circa ultimum.*

Nonum dubium, si plures fuerint examinati per concursum, tamen fuit

admissus unus, & alter rejectus, qui prætendit provisum fuisse minus idoneum, & appellaret, quæritur primò, an ista appellatio debeat admitti. Secundò an suspendatur executio per hanc appellationem. Respondetur primò, quòd Concilium videtur admittere appellationem, & devolutionem, sed non suspensionem executionis. Respondetur secundò, Bullam citatam admittere appellationem illius, qui fuit rejectus, vel ad metropolitanum, vel ad antiquiorem Episcopum, si primus collator, vel erat Metropolitanus, vel exemptus, vel ad Papam, sed interim provisio debita mandetur executioni, & pendente appellatione provisus ab Ecclesia non removeatur. Sed an hoc habeat locum in collationibus omnium beneficiorum, verbi gratia, duo litigant de quodam beneficio, fertur sententia pro uno, alio appellante, an possit iudex, non obstante appellatione, ponere in possessionem appellatum, id est, illum, qui habuit sententiam in favorem, & videtur quod sic, ad hoc ne beneficium diu vacet possessore. vide *Capit. Tolos 400.* & ibi *Addit. faciunt cap. ne pro defectu de elect.* & ea diximus in *ver. economus, §. 10.* & in *ver. benef. §. 3. con. 5.* Ratio est, quia vacatio est periculosa Ecclesiis, *cap. qui possit, de elect. libro 6.* & quia appellatio non debet differre rem perituram tempore, quia multa possent medio tempore perire Ecclesiis, si non adest administrator. Præterea, quia poterit apparere appellatio non legitima, & sic rata remanebit sententia vel provisio, ita firmat Gemin. in *cap. avaritia, vers. quid sit confirmatio, eodem*



eodem titulo, & lib. 3. vers. sed quid si est appellatum, disputat, an teneat ista possessio, & tenet ex multis quod sic, maxime si fuit positus in possessionem antequam inhiheretur à Iudice ad quem, quod corroborat ex multis Doctoribus, facit c. quam sit, eodem titulo, & libro cap. cupientes, eod. ubi vocat periculosas istas vacationes, idem confirmat in ca. fin. ver. sed dicit Lopus, de elect. lib. 6.

Decimum dubium, qua praxi uti debeat Ordinarius in hoc concursu? Responderetur ex Concilio loco citato, §. transacto, instanti die præfixa conveniunt examinatores coram Ordinario & ipsi examinandi una cum notario solum in loco selecto, & ibi examinantur factis interrogationibus sedulo super Sacramentorum administratione, & ex majori parte super practica, propositis etiam aliquot casibus conscientiarum, his sic actis, omnia scribantur quæ acta sunt seriatim, & examinatis exclusis, fit scrutinatio, inter examinatores, & Ordinarium, utrum sint omnes æqualiter idonei, vel unus magis, quia si primum Episcopus eligeret, quem voluerit, & hic potest cadere gratificatio, si secundum illum eligeret, qui est magis idoneus, sed ubi esset tanta presbyterorum penuria, quia non pollerent tanta idoneitate in tali re, id ager, quod commodius & melius agi poterit, Episcopus. Ita sac. Congreg. declarat 488. in meis, Episcopo Piltonensi. Quod ratione potest comprobari, nam Gemin. in c. ubi periculum, §. ceterum, ver. quare quia, de elect. libro 6. dicit, quis dicatur idoneus. Solutio, dicit, quod idoneus dicitur secundum quod humana natura concedit possibilitatem, quia se-

cundum celsitudinem dignitatis nullus inveniretur, cap. non vos, 40. distinct. nam plus in uno quam in altero requiritur sufficientia, sive idoneitas, postmodum proceditur ad capiendam informationem, ubi talis praxis est servanda, quando collatio pertinet vel ad Ordinarium, vel ad alium, puta ad summi Pontificis observationem, vel devolutionem, vel ad alium, facto examine, capitur informatio, pro qua vel mittitur unus ex examinatores, vel committitur alicui presbytero probatae vitae, & prudenti, quæ capi debeat de ætate, quæ debet esse viginti quinque annorum, cap. 12. sess. 24. in principio. Navar. cap. 25. num. 116. quæ ætas etiam requiritur in Commenda curata, Gom. in quest. 5. colum. 3. de idiom. Gemin. in cap. nemo, in notab. de elect. lib. 6. & ibi gloss. in verb. Sacerdotio. Secundò, de morib. & doctrina (sed de hac in examine. Quartò, de prudentia, ita Innocent. in c. dudum, num. 2. de elect. &c. his peractis, Ordinarius faciat collationem. Si verò ad Papam, vel ad alios collatio, seu institutio pertineat, Ordinarius ei mittat, vel copiam examinis facti per concursum, & informationem clausam & sigillatam, vel solam approbationem, fidem, seu testimonium tam examinis, quam informationis munitam subscriptione, & sigillo ipsius Ordinarii, & examinerum, capitulo, post cessionem, & ibi glossa in vers. luterus, de probat. & ita vidi practicari, & practicavi multis vicibus. Si verò institutio ab alio, quam ab eo Episcopo erit facienda, tunc Episcopus solum ex dignis eligat digniorem, vel eum, qui sibi fuit oblatu à patrono, quem patronus ei præsentet, qui institu-



re debet jam approbatum, & examinatum ab Ordinario, ita Conc. loc. cit. §. cum verò institutio. &c.

Undecimum dubium, apprimè caveant ipsi concurrentes, ne quicquid prorsus hujus occasione, nec antè, nec post dent examinatoribus, nec ipsi accipiant, alioquin simoniæ vitium utriusque incurrunt, à quo non absolventur, nisi dimissis beneficiis, quæ antè habebant, & sunt inhabiles ad futura; ita Conc. ibi, §. caveant, cum quibus, an, & quando possit Episcopus dispensare, vide gloss. in cap. de simoniac. in ver. remanere, & in cap. ex insinuatione, in ver. elegerunt, de fin. Ioann. de Selva. tract. de benef. tertia par. quæst. 31. numero 4. Navar. cap. 25. num 112. & cap. 23. nu. 110. Sylvest. in ver. simonia. §. decimotertio, Rebuff. in pract. de benef. in titul. quor. modis beneficia acquirantur, numero 9. tamen si acciperent quid modicum, ut puto valoris trium Carlenorum, sive Iuliorum, non inciderent in labem simoniæ, quoad forum conscientiæ, modò hoc non accipiant, ut faveant examinando, sed ingratosè, cum fuerit alias idoneus, Navar. consilio quinquagesimotertio, de simonia.

Duodecimum dubium, an concursus debeat fieri in Ecclesia receptiva, ubi sunt plures Sacerdotes, tamen unus est eorum caput, puta Archipresbyter, ubi est cura animarum? Respondetur, quod sic, vide superius in ver. benef. §. quarto, versic. dico quarto principaliter, dub. primo. qui alibi vocatur Archipresbyter, sive Parochus, vel Plebanus, vel Rector, vel Curatus, Navar. in capit.

primo, in gl. numero nonagesimoquarto, & infra, de pœnit. distin. sexta. Hoc valet in terminis, de quibus dicitur, & practicavi, & practicatur, ubi cura animarum residet penes ipsum Archipresbyterum, vel quocunque nomine censeatur, secus verò, ubi sunt plures, ut Collegium, & ibi est unus Rector, ut caput, & Canonici, vel Hebdomadarii, ut membra: nam tunc non requiritur editum, vel examen, prout in Parochiis, & ita servatur Beneventi: & Neapoli, in cap. statutum, & ibi glossa in ver. collegiatus. Gemin. in ver. quæro an semper, de elect. libro sexto, ubi text. vult, quòd assumptus ad Ecclesiam collegiatam, ut Rector, vel caput, licet illa collegiata curam habeat animarum, & licet habeat parochialem, non subest, capitulo licet Canon. eodem titulo, & libro, tamen vide ibidem Gemin. versiculo, & hæc faciunt, ubi in favorabilibus veniunt ista appellatione parochialium, & exemplificat in Archipresbyteris Ferrariæ, & Mutinæ tempore Interdicti.

Ad tertium, parochi officium est. Primò prædicare, secundò, exponere ea quæ in Missa leguntur, Tertio, declarare decretum matrimonii, idque observare. Quarto, pueros rudimenta fidei, & obedientiam docere. Quintò, vim & usum Sacramentorum exarare populo. Sextò, sacra eloquia & salutis monita explanare, Septimò, jejunia, dies festos, & alia populo commendare. Octavò, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, Sacramenta administrare & bono exemplo pascere. Nonò, pauperum & aliarum miserabilium personarum curam paternam



paternam gerere. Decimò, Missas frequenter celebrare. Undecimò, in suis Parochiis residere. Duodecimò, hospitalitatem servare. Decimotertiò, libros habere, videlicet. Primum librum baptizatorum, secundum, Confirmatorum, tertium, Matrimoniorum contractorum, quartum, numerum animarum suæ parochiæ omnium, quintum, ubi scribat omnes ordines, instructiones, & edicta faciendâ indies ab Ordinario circa ea, quæ pertinent ad officium suum, & ubi scribantur omnes pueri, & puellæ ad doctrinam Christianam convenientes. Librum etiam, in quo scribantur omnes, qui in suis moriuntur parochiis, nomina, cognomina, & dies, ista omnia habes in Concilio Tridentino variis locis, quæ brevitatis causa omittuntur, & per se, quisque videre poterit, & in Conciliis Mediolanensibus, fol. 202. & folio 13. & in Conciliis Benevent. de sepult. cap. 3. & præcipuè debet invigilare, utrum Paschæ tempore omnes confiteantur peccata sua, & communicent, prout in cap. omnis viriusque sexus, de pœnit. & remiss. & si qui destiterint, facta octava, renuacient Ordinario, & si in parochia vigeret aliquis concubinatus, & peccatum usurarium, & huiusmodi circa infirmos, ut confiteantur peccata sua, antequam medicinam suscipiant, in c. infirmitas, eod. titulo. Bullæ Pii V. quæ est. fol. 924. & multa alia, quæ brevitatis causa omittuntur, & qui extra parochiam tempore Paschæ confessi fuerint peccata sua, vel communicaverint, petat ab eis schedulam, sive tesseram, vel aliam probationem. Nayar. in cap. pen. § sacerdos, num.

86. de pœnit. distinct. 6. & ita observatur in bonis Cathedralibus.

Ad quartum, sac. Conc. Trident. sess. 14. cap. 9. de refor. ait, jure optimo fuisse distinctas parochias, ut quisque suarum ovium curam haberet, ordo Ecclesiasticus non confundatur, nam omnia, quæ à Deo sunt, ordinata sunt, D. Paul. & Dionys. Areop. de Ecclesi. & celesti Hierarch. ad hoc facit, in cap. 1. 13. quæst. 1. cap. pastoralis, de his, quæ fiunt à prel. & hoc convenit etymologiæ vocabuli, quia Parochia Græcè, Latine portionem curatæ significat, Abb. in dict. Rub. numer. 1. Selva, tract. de benef. 3. p. quæst. 42. num. 3. Gemin. in cap. licet, Canon. de elect. in 6. Roman. in conf. 356. & hac ratione Conc. Trident. sess. 24. capitulo 13. §. in iis. præcepit, quòd ubi Ecclesia parochialis certos non habet fines, sed promiscuè petentibus Sacramenta administrantur; ut dictincto populo, unicuique suum perpetuum peculiaremque parochiam assignent Episcopi, vide Abb. in repetit. dict. §. quis vero, numero 10. cap. 1. 80. distinct. & cap. 7. 99. distinct.

Ad quintum, oblationes, quæ fiunt in parochia, sunt Parochi, & quæ fiunt capellæ, vel picturæ sitæ intra limites parochiæ Sacerdoti, Rectori, seu Parocho illius parochiæ competunt: vide Sylv. in ver. decima, num. 5. §. 2. ver. 3. & Angel. in ver. Ecclesias. §. 9. Abb. in cap. nimis, numero 3. de excess. pralat. & in cap. pastoralis, numero 1. de his quæ fiunt à prel. & rubr. de paroch. num. 3. & in cap. quoniam, num. 2. de deci. & in cap. 1. num. 4. de statu monach.

Ad sextum, sac. Con. Trident. sess. 21  
cap



cap. 4. de reform. §. in iis verò, disponit, quòd ubi ob locorum distantiam, sive difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & divina officia audienda accipere non possunt, novas parochias etiam invitatis rectoribus, constituere possint Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ delegati. idem decretum erat primum in cap. ad audientiam de Eccles. adif. Abb. in cap. 2. num. 7. de decim. De portione verò assignanda presbyteris præficiendis Ecclesiæ noviter erectæ, disponit sac. Congr. loco citato, §. illis autem, quòd aut sumatur ex fructibus Ecclesiæ Matricis, aut compellatur populus ad eam subministrandam. Idem sess. 24. de reform. cap. 13. Abb. in cap. novum genus, num. 7. de decim. & hoc est de jure divino, & naturali, D. Th. 2. 2. quæstio 87. à numero 1. in corpore. & ad quartum, Covar. libro primo, capi. 17. num. 2. & 4. vers. quarta ratio, var. resol. Turrecrem. in capitulo, omnis Christianus, de consecrat. distinet. prima, Selva loco cit. quæstio quinta, numero 168. Secundo de unione parochiarum, vide in ver. unio, §. 1. & de earum reparatione, in ver. visitatio, §. 6. dubio 9.

Ad septimum, sac. Conc. Trident. sess. 21. cap. 6. de reform. dicit, quòd Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ delegati Rectoribus Parochialium imperitis, & minus aptis dare debeant coadjutores, vel Vicarios pro tempore, & assignare eis partem fructuum pro sufficienti victu, vel aliter providere, & hoc potest Episcopus, etiam in Parochiis exemptis, propter identitatis rationem. Parochus etiam teneretur quemcunque habere so-

ciam, Sed loco citato, num. 168. & 174. & quando propter populum numerosum, sac. Concilium Tridentinum, loco citato, §. 4. de reform. & quando propter senium, vel valitudinem, vel aliam causam, vide Dyn. in cap. 1. numero 47. de reg. jur. libro 6.

Ad octavum. Primo jurabit quòd præstabit obedientiam ipsi Episcopo, & sanctæ fidei Ecclesiæ. Secundo, quòd servabit mandata ipsius. Tertio, quòd serviet Ecclesiæ cui præfigitur, in spiritualibus. Quarto, quòd personaliter residet. Quinto, de non se transferendo ad aliam Ecclesiam, sine ipsius Episcopi licentia, facit Extravagans execrabilis. Sexto de conservando jura, & libertates ipsius Ecclesiæ. Septimo, de non alienando bona Ecclesiæ, imò alienata si quæ sint, recuperando; & alia quædam, non tam necessaria, quàm ista prædicta habes in Rebuff. in præct. benef. in for. coll. & provis. Ord. à num. 2. usque ad 11. quando teneatur ad fidei professionem, vide Conc. Trident. sess. 24. cap. 14. reform. & in ver. fidei professio. Hostient. in Summ. iii. de major. & obed. §. sub qua forma, num. 5. Octavo, provisio de beneficiis curatis à Papa, seu de Vicariis perpetuis, tenentur ad juratorem fidei iuramentum de residendo, Pius IV. Bul. 87. qua incipit, Inter multiplices, cætera vide in Additionibus magnis.

Ad nonum, vide Rebuff. in titulo de erect. in Curatam, & Parochialem, ubi habes omnia requisita.

Ad decimum, vide Panorm. in cap. super, numero 1. de statu Monach.